















KB



RERUM
LEODIENSIVM
STATVS.

HAGÆ COMITIS,

Apud *Michaelem Stael*, & *Iohannem Breeckevelt*, Typographos, prope Carcerem, M.DC.L.



LECTORI.

Res Leodiensium anno unico gestas brevi compedio includi, Lector non mirabitur, si tempus inspexerit: si molem in annales referri, meritò requiret. Eos certè varietate, transitu, & magnitudine rerum, quæ in plures annos sæpè non caderent, impleverint. Quas breviter sine irâ & studio notare, scribenti suffecerit, quò veritas à calumniâ inter infensos, ab assentatione inter obnoxios vindicetur.

RERVM LEODINENSIVM STATVS.



Ost ejectum Plebiſcitis Civitate Leodienſi Supremæ Juſtitiæ Tribunal, & uſurpatam impunè à Conſulibus, & Plebe, Principis & Epiſcopi ſui juriſdictionem, ac arrogatum in Cives per ſeditionem jus vitæ & necis, rebellionis complementum fuerat, anno ſuperiori ipſo Divi Laurentii die Principi quaſlibet conditiones pacis offerenti occluſæ portæ Civitatis, adjectis tormentorum, ſi propiùs acceſſiſſet, in ejus perſonam directorum, & explodendorum minis, cùm FERDINANDUS *Bavariæ Dux, Princeps Elector, Epiſcopus & Princeps Leodienſis*, ex hoc itinere Leodium verſus, Viſetum redux, non omiſſâ Clementiæ ſuæ in ſubditos contumaces lenitate, Convocatis Epiſcopatus ſui in eodem Oppido, ac dein Huenſi Ordinibus, eorum mentem & conſilia exquiſivit, atque omnes componendorum tumultuum modos ab iiſdem ſibi proponi paſſus eſt, quò Patriæ Leodienſi quietem, & Civitati ad obſequium revocatæ tranquillitatem redderet : quibus à factione Civitatem Leodienſem occupante ſpretis, & Principis ſui clementiâ, atque Ordinum Leodienſium interceſſione inſuper habitis, quod unicum & leniſſimum è præſentibus ſupererat remedium, Tribunal Supremæ Iuſtitiæ Leodio ejectum, atque cætera Tribunalia ejus exemplo in Oppido Huenſi de Statuum ſuorum conſenſu collocavit, atque Capitulum Cathedrale, cui, Principi æquè, ac Epiſcopo per vim Leodii intereſſe non licuerat, in idem Oppidum evocavit. La-

tus dato pœnitentiæ ſpatio, ac Civitate ſibi ipſi relictâ, & per juſtitiæ exilium ſolitudinem ſuam agnoſcente, rediturum fortè ſubditis amorem obſequii. Sed ſubſequentibus temporum injuriis patuit manſuetudine & clementiâ Principis firmari rebellionis animos nonnullorum è Capitulo Leodii reliquorum, & Evocationi Capituli Cathedralis totis viribus obſiſtentium conſiliis, titulo, & auctoritate ſubnixos. Nam Conſules & Jurati Leodienſes, Juſtitiæ ſupremæ & reliquorum Tribunalium exilium in augendæ poteſtatis occaſionem rapientes, juriſdictionem promiſcuè ſibi in Nobiles, imò & Clericos, ac cæteros totius Epiſcopatus ſubditos arrogârunt, executionem judicatorum per Judices & Status à Principe ſuum evocatos, armis ulti ſunt, atque conſcriptis pluribus militum turmis, cędibus innocentium, & rapinis bonorum, ac fortunarum eorum, quos Urbe ejecerant, infeſta omnia tam intrà, quàm extrà Urbem fecêre: jactâtum aleâ, & calcatâ paſsim, & publicè Principis ſui reverentiâ, populationes in dies alias agrorum, everſiones Caſtellorum, & Urbium obſidiones citrà dubium auſuri, pluribus aliis fortunam ſpeculantibus, & animos ex eventu ſumpturis. Quibus omnibus atrociſſimis injuriis per inauditam calumniam in Principis famam & manſuetudinem confictis, quaſi is, illo quo Leodium ingredi deſtinârat die, vitæ Conſulum inſidiatus eſſet, aliiſque ejuſmodi commentis velitabantur, periculum quod ipſi Principi fecerant ſibi factum comminiſcentes. Ius armorum etiam Conſulari, & Plebeïæ auctoritati proprium eſſe independenter à qualibet proteſtate, ſparſis in plebem, & quoquoverſum tranſmiſſis libellis eodem tempore evulgârant, cùm priùs in ipſo Imperii, atque adeò totius orbis Chriſtiani conſeſſu, Monaſterii Weſtphalorum per Delegatos ſuos fidem Cæſari, & Imperio exuere tentâſſent, cu-

jus

jus nonnisi temporariam protectionem, & pro arbitrio Leodiensium mutabilem, ac pro tempore sæpiùs mutatam solùm agnoverant, ad extrema alia quæque præcipites, ad quæ facilè ab ejusmodi voto transitur.

His in tumultibus Ægidius à Bocholt Decanus Leodiensis evocationi Capituli Cathedralis obsistentium caput, ex vulnere femoris casu inflicti hoc anno 1649. mortuus, electionis alterius ad eam dignitatem locum fecerat, nec dubitatum quin Capitulum Cathedrale Hui ex Evocatione residens majore et saniore Canonicorum parte constans, in electionem MAXIMILIANI HENRICI *Bavariæ Ducis, ac Coloniensis Coadjutoris*, unanimi consensione transiret; dissidentibus solùm aliquot Canonicis Leodii residuis, et quò Plebs juberet inclinaturis. Huic verò Arnoldus à Leeraedt delegatione illâ Monasteriensi partibus commendatus in oculis erat, cui nonnulli ii Canonici hâc contemplatione Decanatus speciem obtulerunt, non minori electi quàm eligentium ludibrio acceptatam. Delegati interim Baro de Feuffe Archidiaconus Hannoniæ, et Joannes Baro ab Eynatten Prępositus Aquensis et Kerpensis, Canonici Leodienses ad Principem Maximilianum Henricum Coadjutorem Coloniensem, qui factam viâ Sancti Spiritus Electionem de ejus personâ in Decanum Leodiensem referrent, ac voluntatem ejus super acceptatione exquirerent. Quem et Decanatum acceptare, et Huum versus, ob Serenissimi Principis Patrui sui, et propriam etiam in Ecclesiam Leodiensem curam et sollicitudinem iter adornare, brevi post patuit, quò octavâ mensis Julii anni hujus à Comite Itelio de Merode, et obviis aliis Nobilibus, ac sexcentis Condrosiis ad Vrtam fluùium priùs exceptus, et deductus, magnâ futuri spe pervenit. Ac primùm quidem expositis ab eo Episcopi et Principis Leodiensis mandatis, indictisque Co-

mitiis Statuum Patriæ Leodienſis demonſtratum fuit, ſtatutum Principi eſſe, ut quandoquidem tentatæ hactenus Clementiæ rationes, & molliora Ordinum conſilia fruſtrà fuiſent, factas ſibi, Eccleſiæ, et toti denique Patriæ injurias armis vindicare: et ab imminentibus in dies majoribus periculis illam aſerere, factâ tamen etiam tum quibuſlibet præteritorum gratiâ, ſi ab aliquot perditorum hominum et rebellium cauſâ, ſuam ſegregarent, quam in rem Mandata Principis nomine typis data, quæ ejus voluntatem ſingulis manifeſtam facerent, ſed hæc ad aliquot tempus non evulgata, donec copiȩ militares ad expeditionem deſtinatæ advenisſent, ſparſi enim in caſtris rumores, et libelli ad avertendum militem quaſi ſpecie Leodienſis expeditionis, ad Hiſpanorum ſigna raperetur, remoram injecerant, ne Rhenum die deſtinato tranſiret, quibus non citra difficultates, et plurium dierum jacturam diſcuſſis, aliquot equitum ac peditum legiones ſub Gratzio et Schroetz Tribunis militum, ultimo horum ut ejuſdem gentis, genii incolarum et locorum perito duce, Moſam ad Viſetum pertranſeuntes Caſtrum de Liers, medio ab urbe Leodienſi milliari, in Hasbaniâ occupavêre, quo una cum adjacente Pago operibus militaribus adverſus Leodienſium eruptiones permunito, intercluſus ab eâ parte Civitatis Leodienſis aditus, quem ut arctiorem faceret Maximilianus Princeps, Caſtra de Grandaaz, & Oupey præſidiis etiam militum inſideri juſſerat, nam & hoc conſilio id prætereà utilitatis acceſſerat, quòd commeatus Viſeto tutiori itinere in Caſtra de Liers deferrentur, nihil interim undequaque à præfato Principe omiſſum, quò minori ſubditorum detrimento, ad obſequium Principis ſui rediret Civitas. Nam & advenientibus copiis de annonâ provideraт, & N. de Hautpenne Arcis Dionantenſis Prȩfectum, ac poſteà Ioannem Tabollet Canonicum Leodienſem, &

Vice-

Vicecomitem de Looz ad exercitum ablegaverat, qui advigilarent, ut quàm minimum damni ab eo Patriæ incolæ paterentur, et de annonâ, aliisque necessariis in dies militi suppeditandis curam susciperent, simulque mandata Principis, quibus omnes et singulos paucis exceptis in gratiam sè recipere testabatur, Leodii, et in Pomerio, ac circumvicinis pagis publicari curaverat.

Hoc rerum statu 25. dies Iulii Divo Jacobo sacra Comitiis Consularibus Leodiensium solemnis, spem nonnullis fecerat, motus alicujus in Civitate ab iis, qui Patriæ quietem vellent, copiarum militarium subsidio è propinquo fortè usuris, nam & mutatio Consulum occasionem præbere videbatur, oportuno magnis conatibus transitu rerum, in quam intentus Tribunus Scroetz copias instructâ acie munitionibus suis in conspectum Civitatis eduxerat, in quas crebris ex Vrbe tormentorum ejaculationibus fortè accidit, ut quinque equi; & duo equites uno ictu discerpti interirent, nullâ aliâ militum clade, nam & qui Vrbe eruperant, ità repressi, ut terrorem totâ Vrbe spargerent. Sed militibus castra sua repetentibus, nec enim Vrbem invadendi consilium fuerat, Electi in Consules Boüille, & Hennet defungentis Consulatu Frater, Peractis Comitiis, plebs quasi militem retrocedere coëgisset, triumphabunda caput semilacerum unius ex militibus, ut jactabat, patibulo in foro affixit, quod barbaræ feritatis specimen, commilitonum animos efferavit in vindictam violatum etiam in justo hoste jus gentium meritò conquerentium; Clementiæ insuper Principis, & mandatis ejus gratiam offerentibus illusum, adnitentibus maxime iis, qui conscientiâ judice hac se exclusos reputantes, generali aliquorum sequacium quinque, aut sex Consulum nomine in mandato Principis 28. Junii enuntiato, commune omnium qui arma anno 1646. in Comitiis Consularibus

sump-

sumpsissent periculum esse, societate multitudinis & culpæ tutiores persuadere nitebantur, & jam quatuor Parochiæ Sancti Remacli, Iupille, Fleron, & Chainée, Civitati Germaniam versus adjacentes, spe redeundi in gratiam, cujus speciem præbuerant, projectâ, arma pro Consulibus induerent, & alii ad Mosæ ripam Leodium & Huum inter Pagi in Leucâ Bannali ut vocant siti, palam à Leodensium partibus stabant, & eâ quidem feritate, ut unum exulum vicina Oppido Huensi loca obambulantem in Vrbis & Arcis, atque adeò Principis ipsius conspectu, ex insidiis inermem glande plumbeâ transverberatum conficerent. Crebris indè ex Vrbe Leodiensi eruptionibus licet infaustis, & cum aliquâ semper erumpentium clade, contumaciam in dies majorem testabatur factio Leodii insidens, subsidiorum spe sustentatâ, quæ in proximo adesse credulæ plebi obtrudebat, & quorum accelerationem ut urgeret, Perot unus ex priori anno in Galliam Delegatis eam versus discesserat: cujus missio Barone de Wagnee Ducatus Bullionensis Gubernatore in Galliam præmisso, mandatam a Principe provinciam oportunè & summâ cum laude apud Regem & Reginam Galliæ explente, & non intermissâ Principis Maximiliani curâ futuri successus fortunam premente frustrà fuit. Cùm igitur tot Clementiæ suæ argumentis, dein Capituli Cathedralis & Tribunalium Leodio Huum evocatione, postremò submissis exiguis copiis, quo animum & munimentum fidelibus subditis qui Leodii restare dicebantur adderet, nihil ad summam rerum Princeps promoveret, Spaar castrorum Pręfectum Generalem ad expeditionem destinavit: Quem ut adventare Princeps Maximilianus accepit, assumpto Barone de Eeusse 8. Augusti Tongros primùm, dein Visetum postridie tendens, ac præmisso Tabollet Canonico Leodiensi, adjunctisque Gratzio, Schroets, ac Voes Tri-
bunis

bunis militum, cum Generali Spaar consilium habuit, cujus ea fuit sententia, ut Tribuno Gratzio trecentos equites copiis Spaar conjungente, reliquis Tribuni Voes curæ & imperio cis mosam relictis, ipse Præfectus Generalis Spaar quatuor supradictarum Parochiarum animos tentaret; Expedito consilio Princeps non interruptâ rerum curâ Tongros reversus, & 11. Augusti indè discedens, admissis priùs ad alloquium Comitibus de Gleen & Lamboy, aliisque Nobilibus, Huum discessit, quo in itinere, fumantia procul ædificia Pagorum Fleron & Iupille, Generalis Spaar Expeditionem prænuntiabant: cùm enim tubicinem, & tympanistam iteratò prçmisisset, qui denuntiaret nihil hostile tentaturum, si manifestam Principis sui clementiam experiri vellent, nec seditiosorum et rebellium aliquot partibus, usque ad perniciem adhærere, & commentis fidem adhibere quæ tertiâ Augusti testata Principis voluntas, sequacium nomine non comprehendi nisi paucos, & atrocissimorum criminum Reos, & præteritorum omnium in Festo *Sacti Iacobi* anno 1946. quatuor Parochiis, aliisque gratiam fieri, sat superque discuteret, eos non maledictis solùm, sed & bombardarum ictibus incessentes, colloquio arcuerunt, undé disposito ad pugnam excercitu, qui ante discrimen insolentissimi fuerant, vix excepto certamine, post explosos aliquot bombardarum ictus, Pago de Fleron igne per milites injecto, & eorum impetu pulsi, locum deseruêre; nec consortum exemplo territi Iupilienses, sed obfirmati adventu Consulis Hennet cum selecta militum Leodiensium manu, locum naturâ munitum, & nonnisi per anfractus et augustos colles, ac viarum meatus in decliui vix accessibilem, adversus vim ingruentem tuebantur: sed explorato à locorum peritis, quorum plerique militum manipulis se inseruerant accessu, dispositisque aliquot in Pagum tormentis, et ternis ejaculationibus

nibus signo pugnæ dato, concursum ingenti militū ac exulum ardore, at non paribus animis, ab Incolis Iupiliensibus, & Leodiensibus excepti: Vix enim quindecim é Iupiliensibus cæsis, igne totum Pagum eodem tempore corripiente, ancipiti malo distracti, fœdâ undequaque fugâ salutem quæsivêre, ac ii quidem, qui Mosam Herstalium versus flexerunt, incolumes evasêre; Milites verò Leodienses dum per campos vulgò Droixhe nominatos, inter frequentes perticarum lupulis sustentandis, quibus consiti sunt latebras, eoque tutiores (ut rebantur) Leodium repetunt, in equitatum à Præfecto Generali Spaar eò præmissum inciderunt, à quo magnâ & haud minus quadringentorum strage deleti, paucis admodum fugâ elapsis, in conspectu Civitatis funduntur, ac ipse Consul Hennet dum relicto equo in ipsius Pagi Iupiliensis angustiis, & occultiori aditu salutem quærit à militibus deprehensus interimitur, cujus clavis argentea Consulatus insigne Principi Maximiliano Huum transmissa, brevi tradendæ in manus ejus Civitatis argumentum erat. Memorabilis hæc Leodiensium & Iupiliensium clades, non solùm Consulis cæde, sed quod postridie Divi Laurentii accepta anno vertente quo PRINCIPI suo Leodienses portas occluserant, & Iupilienses primi campanarum sonitu ad arma in advenientem Principem concitati, hostilia tùm induerant, rebellibus divinæ vindictæ exemplum futuri. Perculerat illa Civitatis animos, unde prona & in proclivi victoribus omnia fuêre. Hinc aliquot militum presidio in castro de Fain supra Iupiliam Leodium versus relicto, ad Carthusianum Monasterium mota castra, quod etsi à Leodiensium copiis insideri fama ferret, destitutum tamen, & primò occupantis esse apparuit, hoc ex loco Generalis Spaar, & Tribunus Schroets Vrbem é propinquo speculantes, tormenta quædam in eam direxêre, & ignitos globos nonnullâ

ædificiorum

ædificiorum ſtrage, & majore metu injecto, Vrbi immiſerunt, continu s tormentorum ictibus ex Vrbe, & aliquorum etiam clade viciſſim impetiti. Indè irruptione à militibus factâ circa Eccleſiam Sancti Remacli, & ad portam amari cordis ſubjacentis ſuburbii vaſtatæ & incenſæ domus ac pagus de Chainée victorum leges accepit, ac vulgò creditum, ſi majore impetu, nec intermiſſo recentis victoriæ curſu perculſis Spaar inſtitiſſet, Civitatis ultrà Moſam partem in poteſtatem Principis deditione venturam fuiſſe, quod & poſteà patuit, cum interrupto ponte ligneo, quo Civitas ſuburbio cohærebat, terrorem malè tegerent; ſed antequam id Spaar Præfecto Generali notum fuiſſet, Carthuſiam deſeruerat, credens locum Vrbi adeò vicinum nonniſi numeroſo præſidio, & adverſus tormentorum bellicorum vim defendi ægrè poſſe, cùm Carthuſiam muri modicæ altitudinis clauderent, privatæ vi arcendæ, non per artem obliqui, aut introrſus ſinuati, ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent, & operibus molibusque non firmati murales & fulminatrices machinas haud ſuſtinerent. Deſertum Carthuſiæ locum ſtatim Leodienſes occupaverunt, ac avectâ indè omni annonâ, quæ numeroſa pluribus ad longum tempus ſuffeciſſet, caritatem in Vrbe non parum ſublevavêre, ac quaſi Principis exercitum indè pepuliſſent, magnificè de ſe, & rebus ſuis in Galliam & undequaque ſcripſêre crebris exploſionibus ex Civitate id effectum, ut tormentorum Generalis Spaar rotis effractis inutiles ejus conatus redderentur, ac deindè reductis in Vrbem captivis aliquot Hiſpanis, ſatis detectum fuiſſe, quorum potentiâ urgerentur; quod falſiſſimum, & inauditæ calumniæ commentum, cùm Hiſpanos in caſtris Principis nunquam viſos in comperto eſſet, invidiæ concitandæ & provocandi in Principem, & Patriam Leodienſem Galliæ arma, inventum patuit; ut quia

 anno

anno 1646. in Comitiis Consularibus ejusmodi falsissimo commento, quo Hispanis domum Civicam plenam fuisse Trajectensibus vicinis imposuerant, fœlix tum temporis eorum scelus, parem & fœlicem eventum etiam ex pronâ aliorum credulitate nancisceretur. Sed aliter Deo innocentiæ & veritatis assertori visum, & ut non diuturnâ hæc lætitia Leodiensibus esset: Princeps enim Maximilianus in divertenda noxia, & benè agendi promovendas occasiones attentus, ad castrum de Seraing in Hasbaniâ situm duobus ab Vrbe Huensi milliaribus, 16. Augusti se contulit, atque ibidem convocato Concilio bellico, pręsente Generali Spaar, Tribnno Schroets, potissimisque Ducibus, ac Barone de Feuffe Archidiacono Hannoniæ, resolutum fuit, ut suscepto per Tribunum Schroets aliquot turmarum equestrium & pedestrium imperio, eas ad Carthusianorum Monasterium reduceret, ducentorum selectorum è Condrosio, & totidem è Marchionatu Franchimontano copiis firmandas, intereà dum ipse Spaar ab hâc Civitatis parte totum ejus pomerinm, ac Leucam bannalem,ut vocant,ad obsequium reduceret; faciliorem jam ad accipienda imperia, cladis Jupiliensis exemplo,& terrore,quo perculsi plerique etiam ipsis Civitatis mœnibus imminentes, Principis protectionem implorârant, ac redactâ ad obsequium Leucâ bannali vim ipsi Ciuitati intentaret, quem in finem antequam castro de Seraing excederet Princeps Prefectis Comitatus Mohani, Hasbaniæ, & districtus Flandrici scripsit, ut tertiam rusticæ militiæ partem triduò alternis renovandam præfato Generali submitterent, quò eorum operâ in moliendis, & tuendis aggeribus, tormentorum suggestis struendis, loricis vimineis texendis, & fossionibus in oppugnandâ Ciuitate uteretur. Ac quidem Tribunus Schroets transmisso Mosâ cum attributis copiis susceptã provinciam

impigrè

impigrè executus Carthusianorum Monaſterium à Leodienſibus deſertum adventu ſuo recuperauit, & mille è Marchionaru Franchimontano validâ manu Barone de Linden, provinciæ iſtius Pręfecto duce auctus, Vrbem eâ ex parte obſedit, Ac Comes Itelius de Merode cum ſexcentis Condroſiis reliquis ad tuendæ provinciæ aditus deſtinatis, & in vices præfati Comitis de Merode ductu invicem ſuccedentibus, & Baro de Merode Arcis & Urbis Huenſis Præfectus, cnm aliquot militibus é præſidio deductis, Caſtrum de Kicquepois prope Urtę fluminis, ſub ponte de Chainee Veſdrâ fluvio mixti, in Moſam confluentiam occupârunt. Dum interim Princeps magnam pulueris tormentarii vim, furiùm incendiariorum, globorum ferreorum, & plumbeorum copiam, equos vehendis tormentis majoribus, & commeatui militari neceſſarios, indefeſsâ ſollicitudine undique comparari & conquiri jubet, ac Præfecto Generali Spaar ſubmittit, et ultra ſex ſeptemvé tormenta, unà cum eo & Tribunis Gratzio et Schroets ex Germaniâ advecta, aliquot alia ex Caſtro Huenſi, ac duo majora mnralia cum brevioribus tormentis, globorum igneorum ignivomis, Præfecto exercitus ad manum eſſe curat.

Intereà dum hæc aguntur, Du Iardin unus ex Delegatis in Galliam anno ſuperiore, & Commiſſarius Rolandi petitis nomine Civitatis, & à Principis benignitate impetratis commeatus litteris, 18. Auguſti Huum venêre, ac propoſitionum Principi faciendarum Baroni de Groesbeeck Condroſii Archidiacono, & Epiſcopi ac Principis Leodienſis Cancellario priùs factâ copiâ, etſi appareret eorum iniquitati Principem aſſentire non poſſe, publicè auditi fuêre. Earum hæc ſumma fuit, ut ab actibus hoſtilibus ceſſaretur, & militares turmæ Leucâ bannali excederent, atque de mediatoribus (ut ajebant) Fidejuſſoribus, & Delegatis, ac loco,

 ad

ad transactionem pro Civitatis & Patriæ salute ex æquo componendam conveniretur; Responsio verò Principis scripto, & typis data in hunc modum fuit. Nihil hostile à se tentatum agnoscere; militum castra Principis imperio circà Civitatem, eidem imminentia, illicitis in personam, Justitiam, ejus ministros, & fideles subditos, attentatis, esse imputanda: finem armorum eum esse, ut hæc, & ii pace & tranquillitate publicâ restituantur. Objectum verò non aliud, quàm ut subditi rebelles, & non justi hostes, aut tales, in quos hostilium actuum consideratio cadere queat, ad officium redire cogantur; Cæterum id Principi in votis esse, ut turmæ militares non Leucâ bannali solùm, sed totâ Patriâ excedant, idque à Principis clementiâ Civitatem prompto obsequio impetrare posse, quamdiu contumaciâ & rebellione certaret, non sperandum, Principis clementiam, & propensum in amicas transactiones solido fundamento, & certâ fide stabiliendas animum, præteritorum temporum rationes Civitati, et singulis testari, cujus verba & subsignationem fide Principis munita cautioni Fidejussoriæ sufficere, arbitrari debuerint: sed quia tam projecta fuerit Magistratui Principis sui auctoritas, ut venienti turbata componendi animo, portas occluserint, non aliam Principi Maximiliano Henrico Coadjutori Coloniensi relictam transigendi potestatem, quam nisi in antecessum reparationis injuriæ, et cautionis loco, ipsi porta Civitatis ad Sanctam Walburgem pateat, tractatui et securitati dandæ, ne eo tempore ulla vis inferatur, opportuna. Eodem pœnè tempore 17. nempè Augusti in eandem etiam sententiam Archistrategus Spaar Consulibus rescripserat, occasione litterarum eorum nomine, Tribuno Schroets redditarum, quibus mirari se ajebant, quo impulsu ipse gente Leodiensis, bellum illis inferret, et Hennet Consulem legitimè electum, captinum retineret: causam,

causam et finem tam funestorum consiliorum exquirentes, quò Principibus, et Statibus vicinis innotesceret, quam adversis Neutralitati privilegiis, et immunitatibus, agendi modis, agitarentur. Quibus Archistrategus ex commissâ sibi provinciâ nomine Tribuni Schroets responderat, exclusum portis Civitatis, et paternæ clementiæ ultrò oblatis officiis Principem ad arma actum, eorum sibi curam demandasse, Jupilienses, aliosque amicé per Tubicines, et Tympanistas insuper monitos, convitia, et scloporum ictus rependisse. Concursu denique facto et cœso Consule, victricem et bonam causam Deo placuisse. Cæterùm ab eo tempore armis nonnihil temperatum, ut hoc exemplo saperent, et oblatâ Principis etiamnum clementiâ uterentur, illâ insuper habitâ, eandem perniciem expectaturi; Deumque et Orbem testari, eorum malorum quæ acciderint funestos eventus contumaciæ suæ, et rebellioni imputaturos. Institerant etiam Leodiensium Delegati, ut saltem tridui induciæ concederentur, aliàs cùm ejusmodi Principis responso apud efferatos animos, né ipsorum quidem vitam in tuto fore, sed ostensis litteris quibus suppetias urgebant, improperatum fuit, quâ fronte Principis exercitum amoveri, & inducias peterent, dum externam vim in auxilium molirentur, atque ità iis non diffidentibus petitio elisa. Interim igitur Spaar occupato Sancti Ægidii Cœnobio in Monte sito, undè in Civitatem despectus dabatur, binis suggestis in subjectâ prati planitie structis, tormenta imposuerat, quibus aditus Urbis ipsamque infestabat novis quotidiè aggeribus rusticorum fossorum operâ adiutus, ad urbem propiùs accedebat, et Sancti Laurentii Suburbium versus, suburbanas ædes Scabini Libert Emaus nominatas, Scabini la Roche, aliasque amplas muris cinctas, ad Portam verò Aurotanam Suburbanam usque, totum illius re-

gionis

gionis tractum 21. Augusti in potestatem suam redactum, retinebat. Ipso etiam Wilhelmitarum Cœnobio aquis cincto, & parvæ arcis instar ei dedito. Toto illo tempore plusquam ducentis ex Urbe tormentorum ictibus irritis, et nullius clade impetitus exercitus, crebrisque ex Urbe in omnem partem eruptionibus, infesta magis quàm noxia prælia Leodienses fecerant, et licet promotis aggeribus, et dispositis tormentis Cœnobium Wilhelmitarum è proquinquo verberarent, nullo tamen, aut levi detrimento. Rebus ita in oppugnationem paratis, et castris secundo eventu ad vicina Urbi loca promotis, Principi Maximiliano Henrico ab Archistratego Spaar scriptum, militibus fixum esse non ultrò progredi, nisi repræsentato mensis unius stipendio. Antiqua illa seditionibus militaribus materies, et eoquidem inoportunior, quod in armorum et obsidionis hujus apparatum distributa pecunia defecerat, Princeps tamen non intermissâ sollicitudine et quibusuis difficultatibus majore animo, conquisitâ, et parte stipendii militibus futuri spe sustentatis persolutâ, malo nascenti obviam iit. Sic ancipitis fortuna temporis matura virtute correcta. Huum interim impetrato commeatu Stravius Episcopi Leodiensis Suffraganeus (ut vocant) 25. Augusti Principem in Arce Huensi adierat nomine Cleri, ejus discrimen, et desperata Leodiensium consilia novos Dominos potius invocandi, quàm ut se, suaque Principis arbitrio permitterent, denuntians. Quo humaniter accepto et dimisso post beneficam animi in clementiam propensi significationem, si quâ ratione ad obsequium Leodienses flecti possent, ostentatâque etiam in extremis gratiæ spe, ad urgendam oppugnationem animum vertit, nam & auxiliares copias in procinctu esse rumor constans vulgaverat, & certis auctoribus Principi innotuerat, Principibus in Galliâ viris de rebus Leodiensium magnifica,

gnifica, & ipsis in gloriam cessura, licet conficta, & non ex vero obtendi factiosorum nomine, quo suppetias elicerent. Nuntiabant alii missos etiam ad Fœderatos Belgii Ordines, qui speciosis promissis subsidia molirentur, & quanquam Principi fides non fieret ex Gallia hostile quidpiam sibi metuendum, cùm novissimi Fœderis Germanici Lex Christianissimum Regem inter & Imperium, adeòque etiam Serenissimam Domum Bavaricam, & ex eâ, aliosque Principes, contrarium sponderet, mutuam nempè amicitiam, & nihil vicissim in subditos utrimque, ac subjectas Provincias tentaturos, ausurosvè, nec verò simile esset, Fœdus licet nondum conclusum, ruptâ tam manifestò fide velle infringi, etsi aliæ etiam forent potentissimorum Belgii Ordinum rationes, quàm ut perditorum aliquot hominum ergò, nullis aliis de causis quam licentiæ libidine, in turbas ruentium, Principis amici, & pluribus Provinciis vicini, ad arma ægrè compulsi, & à subditis provocati rebus officerent; Princeps tamen modò nihil spernendum, modò non omnia metuenda, secum reputans, instandum cœptis urgebat. Hinc Archistrategus Spaar structo in Sancti Laurentii Cœnobium suggesto, cui murales aliquot machinas in id direxerat, post continuatam diei & ampliùs quassationem, editâ muri ex solido lapide structi latè ruina, insultum in eam, & insuper ex parte Monasterii portis adversâ, propugnantibus ancipiti aggressione distractis, fieri jussit, & aliquâ militum primò invadentium clade expugnavit, diffugientibus plerisque præsidiariorum quos sexcentos numero Monasterium insedisse relatum fuerat, propinquo, eoque facili per aversam portam, & vineta adjacentia ac calles extraneis incognitos in urbem suffugio.

Hoc Monasterio ictu sclopi à mœnibus Urbis dissito, & procul visentibus arcis ipsi Civitati connexæ, speciem præ-

bente occupato, tempus à 27. Augusti sub vesperam in 29am. quò Civitas dedita, brevibus 24. horarum induciis, & promoto poene usque ad ipsa moenia accessu, paratisque ac dispositis ad stragem moenium male cohærentium tormentis, & impetum in Civitatem dandum, insumptum fuit, quo tandem die, videlicet 29. Augusti Dominicâ & Decollatione Sancti Ioannis insignitâ, Tribunus Schroets unà cum Barone de Linden, dedito primùm iis vicino Urbi aggere, quem Cives in Suburbio adversus vim ingruentem struxerant, dein in Urbem ultra Mosam admissus, impositis Portæ ac Ponti amari cordis & imminenti propugnaculo præsidiariis, atque datis obsidibus nihil per se saluti civium, rebus, & privilegiis noxæ futurum, factiosos turbaverat, aliundè jam perculsos, nam conglobati cives Consulem Wanzoulle Pagi de Canne Dominum, & à militibus Leodiensibus propriâ domo è castello de Canne ex insidiis avulsum, & aliquot mensibus in Domo Civicâ manicis, pedicisque vinctum laxaverant, ipsumque Consulem Hennet occisi fratrem & portarum Principi suo in Consulatu occlusarum reum, ex fugâ retractum, iisdem compedibus induerant. Iam Bartholomæus Rolans ex acerrimis Principi obsistentium, & portarum eidem occludendarum auctoribus, fugæ comes, licet mentito habitu & militis Trajectensis speciem præ se ferens, deprehensus in Archistrategi Spaar potestate & vinculis erat, cùm Consul Boüille & Consilium Civicum per Consulem Iamart, Soumagne Jurisconsultum, & Stockem & Beckers Mercatores ad dedendæ ex parte jam occupatæ Civitatis pacta ineunda, & conditiones impetrandas Archistrategum Spaar versus delegârunt, cum quo, & Tabollet Canonico Leodiensi in eas circa tertiam pomeridianam 29. Augusti conventum, ut saluis antiquis Civitatis privilegiis, & numero quinque aut sex Consulum quos ad poenam Princeps deposcebat,

poſcebat; & gratiâ præteritorum aliis factâ exemerat, ad tres ſolùm reducto, porta Sancti Martini in ejus & militum manus traderetur: Sed tum nec Archiſtratego Spaar notum erat, partem Civitatis ultramoſanam in Tribuni Schroets poteſtatem veniſſe, & hîc ad utendum occaſione, & victoriâ, cavendumque, nè quid benè cœpta interturbaret, intentus, & Moſâ intermedio quid ab alterâ parte ageretur non perceperat. Sic cum Civitatis Leodienſis ſeditionibus tandem tranſegit Princeps, & ſollicitæ tot annorum Principatus ſui curæ magnum diem impoſuit. Hoc igitur rerum ſtatu occupatis utrinque Amari Cordis, & Sancti Martini portis, miſſi pernicibus equis ad Principem Coadjutorem Colonienſem, qui victoriam & Civitatis deditionem nuntiarent. Quo nuntio ſub noctem accepto, Huenſe Oppidum feſtivis ignibus collucere, & Caſtrum repetitis tormentorum bellicorum & bomborum fulminibus, ſcloporumque conſonis ictibus ardere viſum, non minori perſonantium, & aërem ferientium ac remugientium montium valliumque ſono. Dein actis poſtridie 30. Auguſti in Divæ Virginis Templo ſolemniterque decantatis gratiis, & miſſo ad Principem Electorem Domino de Monbeeck victoriæ nuntio, Concilio habito numeroſâ Nobilitate ſtipatus, itineri ſe accinxit. Ac primùm trecenti equites uno ab Urbe milliari per officium obvii fuêre, deindè Conſul Jamart ac Soumagne quibus nomine Conſulum, & Concilii Principem deprecantibus, ut Urbem præſentiâ ſuâ honorare dignaretur, reſponſum, ut cras manè mentem ſuam percepturi adeſſent; poſtremò Archiſtrategus Spaar, aliis Ducibus comitatus, dein Baro de Linden & Tribunus Schroets in occurſum venientes. Principem ad Monaſterium Vallis Sancti Benedicti deduxêre: poſtridie 31. Auguſti prædictis Civitatis pridiè Deputatis ibidem comparentibus, per Ge-

neralem Præfectum Princeps denuntiari jussit, apertam quidem hesterno tractatu Sancti Martini portam, cæterum, quod etiam Hui factum voluerat, antè suum in Civitatem ingressum Sanctæ Walburgis portam in occlusæ anno superiori Principi suo poenam in manus suas tradi velle, utque equitum, & peditum numero ad arbitrium & securitatem stipatus, Civitatem ingrederetur. Quò per Deputatos Consulibus & Concilio Civitatis nuntiato, post responsum juxta Principis mentem, eidem circà meridiem relatum, itinere versus Ægidii montem instituto, quò aggeres, accessus, & oppugnatæ ex eâ parte Urbis oportunitates dignosceret, Lantgravio Hassiæ Darmestadio, qui victoriam congratulaturus advenerat, turmisque Nobilium & militaribus circumcinctus, Civitatem Sancti Martini portâ eodem die circa quintam pomeridianam ingressus in Palatium acclamante plebe deductus est. Primâ Septembris Capitulum Cathedrale solemne quotannis eo die, juxta Principis Evocationem Hui convenit ad quadraginta quatuor auctum, affluentibus plerisque, aut per procuratores se sistentibus, qui ante Civitatem deditam Principi Evocanti haud parverant. Quo habito Canonici Cathedrales 3. Septembris, unà cum Concilio Principis & supremâ Justitiâ navibus vecti Leodium appulêre, quo die edicta Principis Maximiliani Henrici nomine, singulis, & ab Archistratego Spaar in milites publicata fuêre, ut cuilibet Principis Electoris gratiâ non excepto, tutò ad sua redire, suisque quietè frui, per milites aliosque liceret: sed cùm ab excursionibus & prædis ægrè temperarent, Laurentium de Mean Scholasticum, & Tabollet Canonicos Leodienses, Comitem de Heers, & Baronem de Bocholtz Princeps delegavit, qui cum Commissario exercitus Nideken, aliisque à Spaar Deputatis stativa designarent, assignatisque diariis

diariis milites à prædis agendis cohiberent. Post fœlicem hunc successum, & victoriam sine multo sanguine, Divino numine quasi largiente partam, multa nihilominus supererant, quæ incipientes ad Statum solidè stabiliendum Principis curas onerarent; cùm enim neque quies Civitatis & Patriæ sine armis haberi potuisset, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis, neque tributa sine subditorum onere haberi possent, fieri non poterat, quin insolita hæc plebi, tot annis seditionibus sine curâ mixtæ, questus elicerent. Vetus enim id erat in Urbe malum, ut magis sine Domino quàm in libertate, tributa aut vectigalia aspernarentur, & si quæ Princeps & Status Patriæ soluenda sanxissẽt, ea vel morarentur, vel abrogarent, vel nullâ ex parte oneribus tùm adæquata paterentur. Indè crescentibus in annos singulos legitimis usuris, sors onerum aucta, etiamnum Civitatem & Ordines Patriæ premebat, indè continuata ab anno 1646. in Septembrem anni 1649. seditio, tributa Viseti aut Hui decreta, vel eluserat, aut magnâ ex parte minuerat; Triennio interim illo decima proventuum ex singulis fundis, & reditibus annuis in Civitate Leodiensi, & totâ Leucæ bannalis circumquàque regione, pontis struendi titulo à factione Leodium occupante exacta: dein impositum singulis focis aut Caminis tributum, impensis in missiones Monasterium et Galliam destinatum. Extortæ acriùs & pro arbitrio à singulis pecuniæ conscribendo in Principem militi, rapta aut vastata eorum quos Urbe ejecerant bona, interruptus commercii usus, & Lotharingorum militum ante messem anni hujus in Hasbaniam irruptio, Exercitæ in Ducatum Bullonieusem, et superiùs Condrosium, ac Provinciam à Mosâ & Sabi circumfluis cognominem, per Gallorum vicina præsidia repræsaliæ, arctiora cuncta in Urbe, et Patriâ Leodiensi fecerant, etiam antè

 exer-

exercitus ad Urbis oppugnationem à Principe missi adventum. Accedebat his malis insolita annonæ hoc anno caritas, communi non solùm Provinciæ hujus, sed Galliæ, et Belgij sterilitate, quasi solitas mortalibus fruges denegante coelo, quas in super belli inter utramque coronam vis corruperat, & peculiare civitati Leodiensi, ac circumiacentibus Pagis ex obsidione damnum, & agrorum ab exercitu vastitas, & solitudo. Fremebat interim miles Urbis poenè captę prædam manibus sibi ereptam, quasi suo jure illam reposceret, deditæ autem, & sine sanguine servatæ ergò Ducibus merces, & prompta stipendiorum repræsentatio militibus negari non poterat, nec eorum in Germaniam dimissio quæ tamen urgebatur aliter sperari. Statuenda igitur eas ob caussas, & exigenda a Plebe & subditis recenti obsidione Urbis circumcircà attritis tributa & vectigalia, tam quæ Hui Ordines Patriæ decreverant, quàm nova, ex quibus tamen pecunia illicò militi solutionem urgenti repræsentari non poterat. Intendebant rei nummariæ curam, litteræ tàm Monasterio, quàm Norimbergâ à Deputatis Sacri Romani Imperii Electorum, Principum ac Statuum, Ordinibus Provinciæ Leodiensis scriptæ, & iteratæ D. Theodorici à Kleihen Reginæ Sueciæ apud circulum Westphalicum Residentis, ejus ac Caroli Gustavi Comitis Palatini Rheni Suecicorum armorum per Germaniam Generalissimi nomine Hui factæ propositiones, quibus 66133⅓. daleros Imperiales à Provinciâ Leodiensi, ex Tractatu Pacis Germaniæ, pro primo trium millionum solvendorum termino deposcebat, reliquis duabus tertiis prædictæ summæ scilicet 44088. daleris Imperialibus ad secundum solutionis terminum reservatis, & insuper octo cohortum equitum, pro sextum mensibus cessis, & in futurum, ut ajebat, alimentationem, additâ immittendi exercitus Suecici in Patriam Leodien-

dienſem comminatione,ſi petita non præſtarentur. Rejectis ex parte Ordinum Leodienſium excuſationibus, quibus iniquum videbatur,ut quæ à cæteris Imperii Provinciis in propriis bellis & periculis ſublevata non eſſet Provincia,ad alieni belli & pacis in Imperio onera teneretur: cùm etiam ardente belloGermaniæ,neutralitatis ac immunitatis ſuæ retinens,& neutri partium ideò adhærens,pacem coluiſſet. Regerebant enim Imperii Delegati, & Sueciæ Coronæ Reſidens rem eſſe in Comitiis Imperialibus deciſam generali Imperii bono, cujus Provincia Leodienſis pars eſſet, ceſſante bello neutralitatis conſiderationem non rectè obtendi, cùm & tractatus Germanici Rex Galliæ fidejuſſor eſſet, & executiones ex pacto in eos qui moras traherent decernandas, conjunctis viribus urgere teneretur, ac denique quod innuebatur ſatis appareret, patienda validiorum imperia, & majoribus malis, cùm alia ratio non ſuppeteret, in tempore occurrendum. Quotam ſummæ etiam donativi Haſſis dependendi,ut neutralitati vim non inferrent,à pleriſque in Provinciâ Leodienſi non in ſolidum exſoluti, Civitas Leodienſis ſolitâ licentiâ rationibus publicis non intulerat. Has ob cauſas congregati in Urbe Huenſi Provinciæ Leodienſis Ordines, certam pecuniæ quantitatem, in capita ſingulorum, ex conditione & fortunâ cujuſque numerandam, ac ſex inſuper in ſingula cereviſiæ vaſa ſtuferos, in vas vini, quod Amam vocant, duodecim florenos, atque Tallias (quo nomine iſtud tributi genus indigetant) colligendas decreverant. Dedita Civitas Leodienſis eandem etiam onerum legem ſubiit, addiditque in quadriennium decem ſtuferos in vas cereviſiæ, duodecim florenos in vas vini, ſed privato Civitatis bono, & in rem eorum, qui pecuniam præerogaverant, ex quibus proindè nihil communi Statuum Provinciæ Leodienſis ærario accedebat. Qui nihilominus

decem

decem illos ſtuferos, & duodecim florenos cereviſiæ, ac vino impoſitos, deinde ſexageſimam evehendorum, & modicam pecuniæ quantitatem in capita animalium quæ conſumerentur, ac denique quinquageſimam vęnalium tributis prioribus ſuperaddiderunt, atque ut Civitas ex cereviſiâ & vino tantundem publicis Statuum rationibus inferret, jus & fas eſſe arbitrantur. Ex his omnibus tributis, & vectigalibus exiguus proventus in militum ſtipendia cedit, decem enim ſtufferi & duodecim floreni ex Civitatis vino & cereviſiâ annuente Principe, ante omnia in reſtitutionem pecuniæ à Mercatoribus aliiſque repræſentatæ, dimittendo militi, eorumque ſtipendiis perſolvendis, ærarium Statuum Patriæ non auget, ex aliis quilibet Ordo tertiam ſibi excipit, privatis cujuſque Ordinis uſibus & oneribus deſtinatam. Prę ſidia etiam arcium Patriæ & legationes, ex iis ſuſtinendę. Æs alienum à pluribus annis contractum, ingenti legitimarum uſurarum incremento, diſſolvendum. Sexageſimæ, quinquageſimæ, ac animalium quę conſumuntur tributum, exiguis & fraudatis (ut fermè talia ſolent) procedit initiis, & incerti eſt proventus. Denique ſi ſingula hæc cumulaveris, quàm in levi habenda, ſi vicinorum populorum quæ regnantur, aut primorum & populi imperio reguntur, tributa, indictiones, & vectigalia recenſueris: quæ ſingula hæc in duplum, in eâdem ſpecie excedunt, & alia nomina, & ſpecies inſuper alias continent. Sed adſuetudine, patientiâ, & judicio tolerantur illa gentibus vicinis, privato eorum quidem incommodo, ſed quod contrà ſingulos utilitate publicâ rependitur, Leodienſibus inſolita tributa, niſi exigua, terrorem & queſtus, aucta, licet oneribus non adæquata provocant. Hæc circà tributa, tàm antè Principis Electoris Epiſcopi & Principis Leodienſis in Urbem ſuam Leodienſem, quàm poſt ejus adventum geſta, conjungere viſum

ſum

ſum fuit, nè pares origine et emolumento cauſæ diſiunctæ Lectorem in incerto relinquerent. Anteqnam verò Princeps Elector Urbem ingrederetur, criminali judicio læſæ Majeſtatis Conſuli Hennet, & aliquot ſociis ejuſdem criminis dictato, à ſupremâ Juſtitiâ damnati erant, ſtructo in ſoro ferali pegmate, in quo legionibus militum obſeſſo, Conſul & bini alii, eodem die obtruncati, & Conſulis caput conto præfixum portæ Sancti Leonardi, quam in Conſulatu Principi ſuo occluſerat, juxtà damnationis ſententiam impoſitum. Eandem mortis imaginem in eodem foro & pegmate, poſt aliquam Archiſtrategi Spaar moram in eo dimittendo, aliquot poſt diebus Conſul Rolans repræſentavit, cùm plebs ab eo, dum in carcerem duceretur, manibus nonniſi manu militari cohibita temperaſſet, ſimilitudine quoque pœnæ, poſt mortem capite in Sancti Leonardi portâ haſtæ infixo, alteri non impar. Eâdem Princeps Elector Sancti Lamberti pervigilio, Principe Coadjutore qui Viſetum uſque obviam proceſſerat, Canonicorum Leodienſium, Nobilium & Ducum ad pompam ornatorum numeroſis Ordinibus ſtipatus, atque magno populi applauſu Urbem ingreſſus, convocato Ordinum Provinciæ Leodienſis cœtu in rem præſentem de reſtituendo Statu, ac ejus ſubſidiis in poſterum ſtabiliendis diſſeruit. rogatuſque exercitum in Germaniam remittere. Petitioni Ordinum bis mille peditibus, & 200. equitibus in Civitate & Suburbiis loco præſidii retentis, aſſenſit. Sed quærenda imprimis, & apud omnes veſtiganda pecunia fuit, perſolvendo & dimittendo militi, quæ ſub cautione & uſuris licet reſtituenda foret, ut ſuprà demonſtratum eſt, ſiniſtris rumoribus materiam dedit. Hâc acceptâ Archiſtrategus Spaar cum potiſſimis turmis Germaniam repetiit, & falſis iſtis ſermonibus & nuntiis, quibus Principis fama

diſtrahebatur, quaſi adverſus Galliam illas deſtinaret (quod nè quidem illi in mentem venerat) fucum & laruam detraxit, calumniandi certè anſam, etiam in re apertiſſimâ adimere non potuit apud eos qui magis volunt, quidquid de præſenti Leodienſium Statu dicitur, credere, quàm quia credenda adferuntur, & apud quos fictis, & è longinquo corruptis rumoribus, vicinorum odia provocare, occaſionem nocendi fide potiorem habere, fallereque, & fruſtrari ſæculum, vocatur. Adjecit deindè Princeps Elector animum Comitiis Conſularibus reformandis, à quibus nempè tota mali labes profluxerat. Ac primùm Conſuli Boüille Magiſtratûs munere permiſſo, additoque Conſule Wanzoulle collegâ (cui ut olim Mario contigit, è vinculis ad Conſulatum perveniſſe.) Comitia à tringinta duobus plebis collegiis ad Senatum Civitatis tranſtulit, moderante Principe, ut ex viginti duobus à ſe, vel Concilio ſuo nominatis, Senatus Civitatis unum Conſulem, & ex totidem qui à Commiſſariis nominarentur, alterum eligeret; Ob quam electionis formam Conſules, Jurati, & Concilium Civitatis 20. Septembris 1649. Principi grates habuêre. Neque populus jus ademptum à Principe qui anno 1603. id conceſſerat, queſtus eſt, niſi inani rumore, & Conſulares aliique, largitionibus ac precibus ſordidis exſoluti tranſlata à plebe Comitia beneficio imputare debuerunt. Conſulum etiam ac Iuratorum judicandi munus, Scabinis Leodienſibus, & Triginta-duumvirûm, Concilio Ordinario Principis & Epiſcopi Leodienſis à Principe tranſcriptum. Ut qui non Judicum more judicia, ſed factiones exercuerant, juriſdictionemque Civitate & Pomærio certis perſonis atque cauſis arctatam, ſuprà Principis juriſdictionem, & hâc tam in Eccleſiaſticis quàm temporalibus calcatâ extulerant, & in omnes totius Provinciæ ſubditos,

imò

imò & in ipsum Comitem de Lamboy, non solùm gente Lossensem, & à Consulum ac Jaratorum jurisdictione manifeste exemptum, sed Cæsaris exercitus Archistrategum, & in expeditione agentem, adeòque in D. vander Burch Potentissimorum Belgii Ordinum Leodii Residentem, ac tùm Legationi & Tractatui pacis Regem Catholicum inter & Fœderatos Belgii Ordines Monasterii à secretis, intentum, & in omnes à Principe, & Ordinibus Patriæ Deputatos Judices extrà potestatem exercuerant, suâ exciderent. Publico inde Edicto Princeps 5. Octobris præteritorum veniam, cædibus & rapinis exceptis, omnibus indulsit, & ne, dum judiciis & actionibus, in id quod cujusque his turbis contra jus & fas non vexatum fuisse, intererat coram diversis Tribunalibus in auctores intentatis, pax & tranquillitas publica turbaretur, certos cum Ordinibus Judices 24. Octobris nominavit, coram quibus intrà mensem proponendæ, ex æquo & remotâ apellatione terminarentur. Dum Princeps Elector eo modo novis constitutis legibus, & clementiæ exemplo, componendæ Civitati & Reipublicæ vacat, Illustrissimus Fabius Chisius Sanctæ Sedis ad partes inferiores Germaniæ Nuntius Bullam Summi Pontificis hoc anno 24. Iunii Evocationis Capituli Cathedralis à Principe & Episcopo Leodiensi juxtà quasdam alias à, fœlicis recordationis, Clemente Papâ sexto prædecessore emanatas litteras, confirmatoriam sub Septembris exitum transmisit, a. D. Abondantio ab Imolâ Sancti Pauli Canonico feriâ tertiâ 5. Octobris in Ecclesiâ Cathedrali solemniter publicatam. Quo accepto cùm par esset, & eò mens ac votum Principis Electoris inclinaret, ut Maximilianus Henricus Princeps Coadjutor Coloniensis qui omnes Decani & Coadjutoris partes in restituendâ Leodiensi Ecclesiâ, & Republicâ hactenus impleverat, jus & titulum

titulum assequeretur, Capitulum Cathedrale indictam in eum finem Electionem, 19. Octobris peregit, Maximilianumque Henricum Ducem Bavariæ, Sancti Spiritus inspiratione in Coadjutorem Leodiensem sub beneplacito Sanctæ Sedis elegit & publicavit, paucorum renitentium ludibrio, malevolam animi significationem cum vi Bullæ Pontificiæ ob contumaciam eligendi incapaces, aliterque facto præstare non possent, frustrà recessu ante electionem testantium.

Rebus in hunc modum compositis, Princeps Elector relictâ Principi Coadjutori Ecclesiæ & Reipublicæ curâ, Rhenum versus discessit. Ac primùm quidem né longior mora Gallis in occasionem agendi iterùm repræsalias veniret, nam & minantes audiebantur, Ægidium Simonis Canonicum Cathedralem, & Claudium Hermannum de Milendonck Baronem de Pesche, in Galliam nomine Principis & Episcopi Leodiensis ablegavit, cum D. D. Fabert Sedani Præfecto, & d'Oigny Regis Christianissimi Delegatis, quæstionem per amicam transactionem & conferentiam, ut ajunt, terminaturos. Id enim etiam legatione suâ Baro de Wagnee à Rege obtinuerat, ut vetitâ tantisper militibus suis in Leodienses excursione, & inhibitis exactionibus, inter Regis & Principis Delegatos quæstio finiretur, quæ sesquimensis disceptatione decisa, à futuris Leodienses absolvit. Præteritorum quasi tempestate aut alluvione cecidissẽt (qui mos potentiorum est) omissâ ratione, Principem Coadjutorem huic divertendo turbini intentum alius adoritur, Dux Lotharingiæ militi suo in hyberna discedenti iter per Hasbaniam solitâ aliorum Principum exercitibus libertate, amicè postulabat, interimque novem Legiones sub Barone de Clinchamps Provinciam Sabimosanam versus præmiserat, potissimam exercitus partem

tem Principis de Salms ductu, itineri per Hasbaniam destinans, nec quod petebatur negari poterat, nè arma tenenti omnia darentur, qui justa sibi negata prætenderet. Cùm Provincia Leodiensis ut mediarum partium beneficio hostes non habet ità pertranseuntes arcere non potest. Rustici tamen né excurrentibus, ut solet exercitu militibus, in prædam cederent, arma in sui tutelam sumpserant, transeunti exercitui aliàs impedimento non futuri. Sed inter milites, & rusticos utrinque armatos, orto in transitu dissidio, illis iter impeditum, his vim sibi illatam querentibus, concursu facto ducentis, & amplius ex rusticis cœsis, & ter mille aut circiter in Pago de Montenaken circumcinctis, & annonæ penuriâ ad deditionem compulsis, lytro convento satisfaciendi, & longioris in transitu morę, occasio & necessitas fuit. Quam nonnisi incolarum cæde, & clade expressam, voluntati Principis aut Ordinum imputare, eorum est, qui nullâ veri curâ calumniis in Patriæ pernicem student, & ejusmodi commentis, Principibus externis adrependo, pericula facessunt. Vero propius est, in ipsam Civitatem & Provinciam Leodiensem invocatas Lotharingorum copias, ut ipse Dux Principi denuntiari jussit ab iis, qui post invocatam fustrà aliorum Principum potentiam, communi malunt incendio quàm proprio deflagrare, & domesticis malis Patriæ excidium opponendo, privatam ruinam Reipublicæ malis operire statuunt. Interrupit hæc clades statutum in tributis exigendis ordinem, simulque illorum inopiâ egentem stipendiis, in Civitate Leodiensi militem, eaque flagitantem ferociorem, & plebi graviorem reddidit. Quibus placandis alio non suppetente, in præsens subsidio, compulsus Princeps, à civibus, plurimis inter eos reluctantibus, pecuniam corradi invitus vidit. Quam etiam suo tempore ex tributis restituendam subsignatione

ſuâ & fide publicâ cavere non detrectavit. Continuata nunc Ordinum patriæ in ſubſequentem annum Comitia, his & imminentibus in iſto concuſſi orbis ſtatu majoribus malis, in tempore occurrendi materiem præbent, quibus ut Deus intelligentem & conſentientem in commune bonum mentem duit, & ut cum laude & bonis recordationibus principum ſuorum labores, facta, atqué famam proſequantur, anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi Kalendis, votum eſto.

F I N I S.

